

ff. de eo quod certo loco. Hanc tamen fallentiam intel-
lige, nisi debitor solvendo praeveniat antequam cre-
ditor eligat, & in quo loco solutionem sibi fieri pe-
tat; tunc enim utique in electione debitoris est, ubi
solvat. arg. cit. l. 2. ff. de eo, quod certo loco. Barbof.
hic. n. 23. Strein hic. Camil. hic.

17 Fallit 5. in Legatis, quando testator verba ad
ipsum legatarium, & non ad heredem dirigit;
quamvis enim aliis, & plerumque ad heredem
tanquam debitorem legati electio spectet, praeter-
tium si testator ad heredem verba dirigit, l. Si
ita relicum. 43. in fine. ff. de Legat. 2. ibi: si ita scri-
ptum sit, decem aut quindecim haeres dato: pro eo
est, ac si decem sola legata, aut si ita sit: post an-
num, aut biennium, quam ego decessero, haeres da-
to: post biennium videtur legatum; quia heredis
est potestas in eligendo. junctam l. Si quando. 109.
ff. de Legat. 1. & l. Titio. 21. ff. de Usu, & Usufructu.
Legat. cum Concord. Tamen, quando testator ad
ipsum Legatarium verba dirigit, v. g. Titius pro
suo legato accipiat, vel habeat domum, aut mille
florenos: vel sic: Titio lego praedium, vel domum:
legatarii, tanquam creditoris est ex alternativè le-
gatis eligere: quod liberit. l. Planè. 34. §. 14. ff. de
Legat. 1. ibi: si ita Titio legatur: Fundum Seianum,
aut usufructum sibi habeto; duo esse legata, & arbi-
trio ejus esse, an velit usufructum vindicare. Item, &
adhuc clarius habetur l. Lucio Titio. 23. ff. de Le-
gat. II. Lucio Titio fundum Seianum, vel usufruc-
tum fundi Seiani lego, potest legatarius vel fun-
dum vindicare, vel fructum. cum Concord. Ratio
utriusque est: quia testator illum, ad quem verba
dirigit, magis respicere videtur, indeque velle, ut
ei electio competat. Et ita distinguendo inter lega-
ta conciliantur Doctores, qui ob diversitatem tex-
tum in diversas opiniones abeunt, uti post Dylum
hic plures bene advertunt.

18 Quod si testator verba simpliciter proferat, ita, ut
non appareat, ad quem verba direxerit, & exinde
dubium maneat: electio legatario tanquam debitori
competit. Dylum hic. n. 4. Barb. hic. n. 15. cum com-
muni aliorum. arg. cit. l. Lucio Titio. ubi Summa-
rium sic habet: In alternativis in dubio electio est
legatarii. junctam §. 22. Instit. de Legat. ibi: Si gene-
raliter servus, vel alia res legatur, electio legatarii
est: nisi aliud testator dixerit. Et ratio est, quia
in testamentis plenius voluntates testantium inter-
prentur, sunt verba l. 12. ff. de Reg. Jur. Barbof. &
Dylum. loc. cit.

REGULA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
 - 2 Quomodo intelligenda?
 - 3 Ponitur verus sensus illius.
 - 4 Declaratur exemplis Juris.
 - 5 Fallit primo in spolio.
 - 6 Secundo, in casu electionis jam confirmatae.
 - 7 Tertio in casu Solutionis usurarum juramentò firmatarum.
 - 8 Quarto, in casu depositi: & quomodo?
- 1 Desumpta habetur haec Regula ex l. 1. §. 4. ff. de
superficiebus. ibi: Cui datus actionem, eadem
exceptionem competere multò magis quis dixerit.
Quod idem dicitur l. Inventus. 156. §. 1. ff. de Reg. Jur.
Cui datus actiones, eadem & exceptionem competere,
multò magis quis dixerit.

Quoad alteram partem Regulae, quòd sufficiat
unum ex alternativis implere, Fallit Regula 1. In al-
ternativis Personarum, & quae testamentis, legatis,
liberariis, & tutorum assignationibus inferuntur,
ut cum quidam sic, vel institutionem, vel legatum, vel
fiduciommisum, vel libertatem, vel tutelam scripserit:
ille, aut ille mihi haeres esto: aut illi vel illi lego, do,
vel dari volo: vel illum, vel istum liberum, aut tuto-
rem esse volo, vel jubeo; uti exemplificat ipsa l. Cum
quidam. 4. C. de Verb. signifi. quia in his disjunctiva
dictio, vel, aut, in copulativam &, ac resolvitur, in-
deque non sufficit unum, sed requiritur utrumque
impleri cit. l. Cum quidam. y. Melius. ubi universa-
liter disponitur, quòd in hujusmodi dispositionibus
plures disjunctivè nominati, non disjunctivè, sed
copulativè accipiendi sint, ne aliquis eorum com-
modò testatoris privetur; ibi: Melius itaque nobis
visum est, omni hujusmodi verborum explosa, con-
junctionem aut, pro & accipi, ut videatur copula-
tivè modò esse prolata: ut & primam personam in-
ducat, & secundam non repellat. Barbof. hic. n. 30.
Strein. hic. & alii.

Fallit 2. quando alternativa concipiuntur per dic-
tionem Sed; quia haec dictio plerumque plus copu-
landi, quam disjungendi vim habet l. Si quis ita. 30.
ff. de Auro & Argent. Legat. ibi: Si quis ita lega-
verit: uxori meae mundum, ornamenta, seu, quae ejus
causa paravi, do, lego: placet omnia deberi; sicut cum
ita legatur: Titio vina, quae in urbe habeo, seu in por-
tu, do, lego, omnia deberi. Hoc enim verbum seu am-
pliandi legati gratià positum est. Quae fallentia in fa-
vorabilibus, vel testamentis, legatis, & aliis, quae
amplam interpretationem recipiunt, potissimum pro-
cedit juxta Abbatem; cum verò universaliter non
currat, in reliquis est subiecta materia, & aliis
circumstantiis num dictio seu copulativè, vel dis-
junctivè accipienda sit, judicium formandum erit.
Strein. hic.

Fallit 3. in alternativis inter genus & speciem;
quia in his propositio disjunctiva pro copulativa
sumitur. Strein. hic. n. 32. cum communi aliorum.
l. Sepe ita. 53. v. Et cum dicimus. ff. de Verb. Signifi.
cum Concord.

Fallit 5. Regula quoad utramque partem, quan-
do mens disponentis ex subiecta materia, scopo, vel
fine dispositionis alia esse apparet: vel alias iniqui-
tas, aut absurdum sequeretur. Barbof. hic. n. 34. arg.
l. Generaliter. 6. C. de Instit. & Substit. & l. Lucius
2. ff. de Hered. Instit. cum Concord.

Queritur I. Quomodo haec Regula intelligenda? 2
Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam
intelligendam esse, & procedere tunc solummodo,
quando de eodem, & ad idem agitur, ac ex-
cipitur, ut bene advertit Glossa marginalis hic,
communiter recepta. Item quando non adest ratio
specialis exceptionem magis, quam actionem repel-
lens, prout patebit ex fallentis infra à nu. 5.
adducendis. Hinc
Resp. II. Verus Regulae sensus hic est: Quando
aliqui de Jure competit actio pro re aliqua acquiren-
da, eidem etiam, & multò magis competit exceptio
pro eadem, si habet retinendam ad excludendam ac-
tionem, quam alius pro eadem re instituit. Ratio
est, Tum, quia cui licet quod est plus, licet utique,
quod est minus, juxta Reg. 53. de R. J. in 6. Plus
autem est agere, quam excipere; cum non raro,
cui denegatur actio, concedatur exceptio arg. c.
Cura

Regula LXXII. Qui facit per alium, &c.

Cum inter. 5. de Except. utpote quae tanquam sui
defensio in maiore aequitate fundatur l. Qui aequi-
tat: 12. ff. de Doli mali except. Tum, quia excep-
tio tendit ad rei retentionem, quae facilius conce-
ditur, quam acquisitio illius, qualem intendit ac-
tio. l. Per retentionem. 4. C. de Usur. Tum, quia
exceptio utens representat personam Rei, ac-
tionem verò instituens personam Actoris: sed Favo-
rabiliores Rei potius, quam Actores habentur. l. 125.
ff. de R. J. ergo. Quibus accedit, Jura promp-
tiora esse ad abolendum, & liberandum, quod qua-
rit excipiens, quam condemnandum, & obligan-
dum, quod intendit actionem instituens. l. Ari-
mus. 47. ff. de Oblig. & Actio. consequenter, cui
de Jure competit actio pro aliqua re acquirenda,
multò magis ei competit exceptio pro illa retinenda.

4 Declaratur, & firmatur Regula, ejusque sensus
exemplis Juris: Sic enim, uti exemplificat Glossa
hic, quia ei, qui post legitimam rei praescriptio-
nem deicitur à possessione, competit actio: mul-
tò magis ei competit exceptio pro eadem re reti-
nenda, dum eam possidet. arg. can. Placuit. 15. can.
16. q. 3. junctam l. Si quis. 8. C. de Praescript. trigint.
vel quadrag. annor. Sic pariter, si alicui competit
actio, & vindicatio contra possessorem, multò
magis competit exceptio, si rem possidet, contra
alium actorem, eandem rem vindicare volentem.
l. 1. §. 4. ff. de Superficiebus. Sic rursus, quia con-
ductori rei alienae ad longum tempus competit
actio, & vindicatio utilis in rem contra possesso-
rem etiam dominum: sic eidem quoque competit
exceptio contra eundem dominum. arg. cit. l. 1. §.
3. ff. eod. Sicut etiam, quia viro contra uxorem adul-
teram competit actio ad divortium c. Ex litteris. 5.
de Divortio. sic contra eandem ei competit excep-
tio pro re diti ad virum actionem instituentem, c.
4. eod.

5 Queritur II. An, & quas fallentias habeat Re-
gula LXXI? Resp. Eam fallere in pluribus, vel-
uti 1. Si quis ut spoliatur possessione, & agendo
restitutionem petit, non competit spoliatori excep-
tio dominii, dicendo, se esse rei dominum, & al-

terum in usum possessorem, licet facta restitutione
possit contra spoliatum agere. c. 1. & c. In litteris. 5.
de Restit. Spoliar. prout amplius diximus Lib. II. Tit.
12. de Restit. Spoliar.

Fallit 2. in casu Electionis jam confirmatae, in 6
quo non datur exceptio contra missionem Praelati
in possessionem, etsi contra eundem in possessio-
nem, jam missi detur actio. c. Constitutus. 46. de Ap-
pellat. & c. Indemnitas. 43. §. Ceterum. de Elect.
in 6. Idque speciali ratione ob favorem Eccle-
siae, vel Monasterii, utpote quibus diuturna Prae-
lati carentia, quam exceptio admissa caufaret,
est praedjudicialis Ecclesiae, & animabus periculosa.

Fallit 3. in casu Solutionis usurarum, quae sol-
vere debitor iurejurando promittit, in tali enim ca-
su, licet post solutionem factam competat actio
ad obtinendam restitutionem usurarum jam sol-
utarum, tamen eidem non competit exceptio con-
tra solutionem praestandam, textu claro c. Debito-
res. 6. de Iurejurando. Ratio specialis est: quia
ob virtutem Religionis juramentum, quod sine dis-
pendio salutis animae, & praedjudicio tertii servari
potest, semper servari debet. c. Cum contingat. 28.
de Iurejur. & c. Quamvis. 2. de P. Off. in 6. ubi pa-
ctum, etiam à Jure Civili reprobatum observari ju-
berur, si juramento fuit firmatum; cum non vergat
in aeternae salutis dispendium, nec in alterius cri-
minum, ut dicitur ibidem.

Fallit 4. in casu depositi: licet enim depositarius 8
habeat actionem contra deponentem, si ei debeat
exceptione tamen uti non potest tunc compensationis,
si deponens repetat depositum. c. fin. v. Sa-
nè de Deposito. & l. Si quis. 11. C. Depositi. ibi: Si
quis vel pecunias, vel res quasdam per depositum
accepit in usum, eas volenti ei, qui depositum, red-
dere illico modis omnibus compellatur, nullamque
compensationem, vel deducendum, vel doli excep-
tionem opponat, quasi & ipse contra eum, qui depositum
actiones personales, vel in rem, vel hypotheccariam
praetendens. Ratio in utroque Jure specialis allegat-
ur illa: ne contractus, qui ex bona fide oritur, ad
perfidiam retrahatur.

REGULA LXXII.

Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum:

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Differat à Regula: Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum: & quomodo?
- 3 Ponitur Regulae sensus.
- 4 Declaratur exemplis: in bonis,
- 5 Et in malis.
- 6 Solvitur obiectio.
- 7 Observe an, & quando delinquit praebendo, vel suadendo medicinam?
- 8 Fallit Regula in iis, in quibus fallit LXVIII.

1 Desumitur Regula ex l. Quod jussu alterius. 180.
ff. de Reg. Jur. ibi: Quod jussu alterius solvi-
tur, perinde est, quasi ipsi solutum esset.
2 Queritur I. Quomodo haec Regula intelligen-
da? Et quis verus ipsius sensus sit? Resp. quan-
vis ista Regula convenire videatur cum Regula 68.
Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum:
tamen ab ea differat, Tum, quia primum dicta Re-
gula loquitur de potestate faciendi per alium: pra-
tens verò de vi, & effectu actus per alium jam fa-
cti. Tum, quia ista haec Regula loquitur generali-
Reiffenstuel Jus Canon. Tom. VI.

ter, ut etiam comprehendat maleficia, quatenus
non solum ille, qui bona, sed etiam qui mala & ini-
qua per alium facit, v. g. hominem occidit, vulne-
rat &c. perinde est, homicidii reus habetur, ac
si ipse in persona occidisset arg. l. Is damnus. 169.
ff. de R. J. Is damnus dat, qui jubet dare: & pate-
bit per exempla Juris infra nu. 4. adducenda. Non
sic Regula 68. utpote quae de licitis loquitur, uti
patet ex dictis ad eandem. Verbum autem perinde
non est intelligendum, quasi esset idem utriusque
actus, sed quia fictione, & interpretatione quoad
effectum pro eodem habetur. Et concernit haec
Regula potissimum mandataris, procuratores sub-
stitutos, delegatos, ministros, officiales, servos,
utpote per quos sapientissime negotia nostra & alia
facimus, & quod per nos facimus, quoad Juris ef-
fectum pro eodem habeatur, ac si ipsi faceremus.
Hinc

Resp. II. Verus Regulae sensus sequens est: Quod 3
quis per alium sive bene, sive male facit, quoad Juris
effectum pro eodem habetur, ac si faceret per se ipsum.
Ratio Regulae est: quia ille, qui mandat, delegat,
substituit &c. ut quid per alium fiat, est principa-
lis causa & origo facti secuti: hoc ipsò, quòd factum
P 2 non

non esset, si ipse non mandasset; consequenter factum tale eidem merito ita imputatur, ac si ipse fecisset. *argum. cit. l. Is damnus. 169 ff. de Reg. Jur. & l. Hec actio. 4 ff. Si Mensor fals. mod. dicer.*

4 Declaratur Regula exemplis Juris: Sic enim, qui debitum suum per alium solvit, perinde habetur, ac ipse solvisset. *cit. l. Quod jussu. 180 ff. de Reg. Jur.* Sic etiam, qui mandat, ut suus debitor id, quod debet, solvat mandantis creditori, perinde est, ac si ipse solvisset. *l. Cum jussu. 64 ff. de Solut. ibi: Cum jussu meo id, quod mihi debet, solvis creditori meo, & tu a me, & ego a creditore meo liberor. & l. Singularia. 15 ff. de Reb. creditis si certum.* Sic pariter, si quis per procuratorem juramentum deponit, perinde est, ac si ipse jurasset. *Clem. 1. de Jurjur.* Sic rursus, qui per delegatum fert sententiam, perinde est, ac si ipse eam tulisset. *l. Est. 3 de Offic. ejus, cui mandat.* Sic ulterius, si quis per procuratorem contrahit matrimonium, perinde est, ac si ipse in persona illud contraxisset. *c. fin. de Procurat. in 6.* Sic alia innumera exempla passim habentur in Jure.

5 Ponuntur etiam exempla Juris ex Dyno de maleficio, seu male factis per alium; Sic enim qui alium vi deicit à possessione, perinde est, & teneat edicto Unde vi; ac si ipse in persona eum deiecit. *l. 1. §. 12. ff. de Vi, & vi armat. ibi: Deiecit autem etiam videtur, qui mandavit, vel jussit.* Sic etiam actioe injuriarum tenetur, sive per se, sive per alium calumniam quis inferat. *l. Non solum 11. pr. ff. de Injuris.* Sic rursus æque pro homicidio habetur, & ut talis punitur, qui per alium occidit, ac si per se ipsum occidisset. *l. Non ideo. 5. c. de Accus. cum Concord.* Sic insuper qui per alium percussit Clericum, vel manus violentas injicit, æque incurrit excommunicationem, ac si per se ipsum percussisset. *c. Mulieres. 6. §. fin. de Sentent. Excomm.* ubi etiam ratio additur illis verbis: *cum is committat verè, cujus autoritate, vel mandato delictum committi probatur.* Sic plurima alia in Jure habentur exempla.

6 Objicies 1. Si Mævius Stycho mandavit, ut jubeat fieri opus aliquod, & id fieri Stychus jussit; in casu emergentie non Stychus jubens, sed Mævius esse conveniendus. *l. Aut qui aliter. 5. §. 12. ff. Quod vi, aut clam. ibi: Si tibi mandaveris ut opus fieri jubeas, & in eare mihi parueris, mecum, inquit, non tecum erit actio.* ergo non semper, quod per alium quis facit, per se ipsum facere censetur. Resp. neg. conseq. quia Regula intelligenda est duntaxat de principali mandante, jubente, volente, ut quid per alium fiat: non de intermediis personis, quæ non proprio, sed principalis mandantis nomine

quid fieri jubent, ut aperte patet ex ipsa *l. Aut qui aliter.* in contrarium citata. Hoc tamen intellige de contractibus, & aliis apparentibus licitis per alium factis; Secus est, si à Mævio principali maleficio, v. g. Rapina, furtum, aut homicidium mandetur; tunc enim non solum principalis auctans, & delictum actu perstrans, sed etiam concurrentes, & consentientes rei reputantur, ac poenâ plectantur. *can. Omnes. 5. cau. 17. q. 4. ibi: Omnes Ecclesie raptores, atque suarum facultatum alienatores à linibus S. Maris Ecclesie anathematizamus, auctoritate Apostolica pellimus, & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus: & non solum eos, sed omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt, rei judicantur, sed etiam qui consentiunt faciuntibus.* Par enim poena & agentes, & consentientes comprehendit.

Objicitur 2. *l. Item, si oblectrix. 9. pr. ff. ad Legem Aquilianam* ubi aperte statuitur videtur, quod non idem sit, homicidium committere, & causam homicidii præbere, ibi: *Si oblectrix medicamentum dederit, & mulier perierit, Labeo d. s. i. i. i. ut si quidem suis manibus suppedit, videtur occidisse: si vero dedit, ut sibi mulier offerret, in factum actionem dandam. Quæ sententia vera est; magis enim causam mortis præstitit, quam occidit.* Resp. In hac objectione, & lege solvenda multum desudare Doctores: vel enim oblectrix occidendi animo medicamentum dedit, aut laesit: vel bonâ, & medendi intentione, mortis periculo nullatenus prævisio; si modo posteriori contigit, oblectrix absque culpa & poena est; quia *In maleficiis voluntas spectatur, non exitus;* ut dicitur *l. Divus. 14. ff. ad Legem Cornel. de Sicariis.* Si verò priori modo contigit: homicidii, & poenarum illius rea erit; quia sive per se, sive per alium quis occidat, vel mortis causam culpabiliter præbeat, de homicidio tenetur, tum per Jura citata, tum per textum satis clarum *l. Nihil interest. 15. ff. ad Legem Cornel. de Sicar. ibi: Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat.* Hinc, quia *cit. l. Item, si oblectrix.* si nudus verborum sensus spectetur, primum dictæ legi, & aliis Juribus aperte videtur contraria, Streinius dicere non dubitavit, quod *Labeonis* per eam allegata sententia dura, & minus vera, nec tam *Labeonis*, quam judicio labentis & errantis dicenda sit, nisi benigna interpretatione, Jura concordante, corrigatur.

Queritur II. An, & quas fallentias habeat hæc Regula? Resp. Eam in iis omnibus fallere, in quibus fallit Regula 68. hoc ipso, quod in casibus ibidem à n. 8. allegatis non possit quis facere per alium, quod facere in persona propria debet: non perinde habetur, si tale quid per alium facit, quod ipsemet in persona facere tenetur.

REGULA LXXIII.

Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Quomodo intelligenda?
- 3 Declaratur exemplis Juris: ibid. & seqq.
- 4 Non nisi de actibus legitime factis, & completis procedit: idque docetur exemplis Juris & seq.
- 5 Ponitur versus Regulae sensus.
- 6 Solvitur textus ei contrarius.
- 7 Supervenientes casus, quæ ab initio existentes actui obstitissent, etsi actum perfectum non amplius impediant, tamen sæpe impediunt effectum illius.

Desumitur hæc Regula ex *l. In ambiguis. 85. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, à quo initium capere non poterunt.* & *l. Nec enim. 2. ff. de Iure, actuque priyato.* ibi: *Nec enim corrumpi, aut mutuari, quod rectè transactum est, superveniente delicto potest.*

Queritur, Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis versus illius sensus sit? Resp. I. Eam sic esse intelligendam: quando aliquid legitime, id est, juxta præscriptum legum valide fit, valorem non amittit, nec retractari vel annullari potest, aut debet, etiam-

etiamsi postea superveniat casus, aut circumstantia, qui, si prius, & antequam actus fuit factus, extitissent, inchoari, & fieri non potuisset. Sic v. g. Matrimonium valide & legitime contractum valore non amittit, nec retractari, aut annullari potest vel debet, si postea unus vel uterque conjugum incidat in amentiam, quæ antea existens matrimonium valide contrahere impediisset. *can. Neque furiosus. 26. cau. 32. q. 7. ibi: Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separantur.* Idem est, si amentia superveniat, ut si vir cognoscat fororem uxoris suæ, quia etsi hujusmodi amentia sit impedimentum dirimens, & ante matrimonium existens faciat, quod inchoari, & valide contrahi non queat: tamen post matrimonium primum eveniens, hoc non dissolvit. *c. Discretionem. 6. c. penult. & ult. de Eo, qui cognovit consanguin. uxor. sua.*

3 Sic pariter, licet furiosus testamentum facere non valeat, tamen si furor testatoris primum post testamentum eveniat, testamentum non invalidatur. *§. 1. Instit. Quibus non est permittum facere testamentum.* ibi: *Testamentum facere non possunt furiosi, quia mente carent, & infra: coram eo, quod ante furorem fecerint, testamento valente.* Ratio additur; *Nam neque testamentum rectè factum, neque ullum aliud negotium rectè gestum postea furor interveniens perimit.*

4 Sic rursus, si quis rem legitime præscripsit, potest eam valide & licite, tantæ conscientia retinere, etiam si post completam prescriptionem eerto sciat, rem fuisse alienam; quia licet hujusmodi scientia, si ante inchoatam, vel completam prescriptionem extitisset, prescriptioni inchoari, aut continuari non potuisset. *c. Vigilanti. 5. & c. fin. de Præscript. superveniens verò eam legitime jam completam non invalidat, aut vitiat, sed in utroque foro adhuc validam relinquit, prout jam diximus Lib. II. Tit. 26. d. n. 21.*

5 Sic ulterius, si quis à Patrono, in possessione existente, ad beneficium præsentatus canonicè instituitur, beneficium valide & licite retinet, licet Patronus postea jus patronatus in judicio perdat. *c. Consultationibus. 10. de Jure Patronat. ubi Summarium sic habet: Institutus ad præsentationem ejus, qui tunc jus patronatus Ecclesie præstebat, removeri non debet, licet illud jus ab eo postmodum evincatur.* quæ evictio si ante præsentationem extitisset, utique nec præsentatio à Patrono, nec institutio fieri potuisset. Sic innumera alia exempla reperiuntur in Jure.

6 Singulariter tamen notandum, Regulam nostram solummodo intelligendam esse de actibus legitime factis, perfectis, & consummatis; quia si actus legitime non fit, subintrat alia Regula: *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. c. Non firmatur 18. de Reg. Jur. in 6.* Dein si legitime inchoatur quidem, attamen substantiâ non perficitur & completur, regulariter invalidatur actus, si supervenit casus, vel circumstantia, quæ si ante initium actûs extitisset, hic inchoari non potuisset, ut pluribus ostendit Dyn. *hic. arg. l. Pluribus. 140. ff. de Verb. Obligat.* Sic Testamentum legitime quidem inchoatum, sed ob amentiam testatoris non perfectum, invalidum existit ob talem supervenientem amentiam, utpote, quæ si prius extitisset, nec inchoationem testamenti promississet. *cit. §. 1. Instit. Quibus non est permitt. facere Testam.* Sic etiam Præscriptio legitime inchoata, & continuata, sed debito tempore novum completa evanescit per supervenientem notitiam, rem esse alienam; cum hæc scientia, si ab initio penes præscribere volentem fuisset, prescriptionem inchoare non permisisset

ex defectu bonæ fidei. *c. Vigilanti. 5. & c. fin. de Præscript.*

Sic ulterius stipulatio servitutis, viæ, vel itineris in fundo evanescit, si ante completam stipulationem fundus alienatur. *l. Pro parte. 11. ff. de Servit. Sic rursus sponsalia, seu promissio de futuro matrimonio tolluntur, si, antequam matrimonium de presenti actu contrahitur, superveniat causa, quæ prius existente, sponsalia contrahere non licuisset; veluti si post sponsalia de futuro unus sponzorum cum alio contrahit matrimonium de presenti, vel impedimentum dirimens affinitatis contrahit. *c. Sicut. 22. & c. Si inter. 31. de Spons. & Matrim.**

8 Resp. II. Verus Regule sensus sequens est: *Quidquid aliquando legitime factum, & in suo genere substantialiter perfectum, seu completum est, nec à faciendis, nec ab aliis retractari, vel aliunde invalidari potest, nec invalidum evadit, etiamsi casus, vel circumstantia superveniant, quæ, si prius extitissent, inchoationi ejusdem, & valori obstitissent.* Per Jura, & exempla Juris jam allegata. Ratio est bonum commune Reipublicæ, quæ utique graviter patereat, & in gravem confusionem, litiumque nocivam copiam incideret, si actus, contractus, sententiæ, & alia negotia, legitime gesta, completa, & absoluta rescissioni adhuc subjacerent, vel ex se invalida evaderent, casu quò casus, vel circumstantiæ emergant, quibus ante initium actûs existentibus, actus inchoari non potuisset; præsertim cum exinde graviter præjudicaretur necessario commercio humano, cunctis dissidentibus, & contractus, atque alia negotia horrentibus, si rerum dominia, jura, & emolumenta legitime obtenta forent incerta, & futuris casibus, ac circumstantiis emergentibus, quæ ab initio obstitissent, iterum perirent. Boni communis autem, & Reipublicæ summa ratio est habenda, *arg. can. Sciens frater. 35. cau. 7. q. 1. cum Concord.*

9 Contra Regulam principaliter objicitur *l. Pluribus 140. §. 2. de Verb. Oblig.* ubi videtur adesse textus nostræ Regule aperte contrarius; sic enim sonat: *Placeat extinguere obligationem, si in eum casum incidit, à quo incipere non potest. Non tamen hoc in omnibus verum est. qui, & alii Juris textus ferè finitiles DD. præsertim verò Peckium adeo fatigant, ut dicere hic non dubitarent, nihil circa hoc in toto Jure magis incertum, & perplexum esse. Dynus autem mitibus sentiendo ait, conciliari posse præfatum, & alios Juris textus Regule nostræ apparenter contrarios, si dicatur, eos loqui de actibus substantiâ necdum perfectis, & completis, quos superveniente casu, vel circumstantiâ, inchoationi actûs obstitente, retractari posse, vel ex se ipsis evanescere, quod Regula nostra ipsamet vult per dicta supra n. 6. Fundaturque hæc responsio in eo, quod textui Regule apparenter contrario statim subjungatur: *Non tamen hoc in omnibus verum est.* Strein. verò non multum se fatigans ait; sic textus Juris civilis in eo, ubi non concordant cum nostra Regula Juris Canonici, pro non insertis habere, eosque profani Juris studiosis committere.*

Notandum tamen, quodd, licet juxta hæcenus dicta, legitime facta & completa retractari nequeant, nec invalida evadant ob supervenientem causam, quæ prius existens inchoationem actûs impediisset: tamen nonnunquam per hujusmodi supervenientem causam impediatur effectus actûs validæ, & legitime peracti, ac perfecti, ut patet in arreptitiis, & epilepticis; cum licet eorum superveniens infirmitas Ordines legitime collatos non invalidet effectum tamen eorum impediatur; quia hujusmodi infirmitate gravati Sacris Altaribus ministrare & Ordines exercere non valent. *can. Communiter. 3. dist. 33. ibi: Communiter diffini.*

animus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti a demonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incensus esserunt, vel Sacris Altaribus audeant ministrare, vel indiscusse se ingerant Sacramentis Divinis, exceptis illis, qui corporis incommoditatibus detenti, sine hujusmodi possessionibus in terram probantur elisi, qui tamen et ipsi tandem erunt ab officio sui Ordine, & loco suspensi, quo usque unius anni spatium per discretionem Episcopi inveniantur ab incurfu demonum liberati. Qui textus circa tales infirmos bene est notandus. Idem cum proportione dic de Presbytero, cui medietas palmæ est abscissa. vel qui est leprosus, textu claro Presbyterum. 2. & c. Tua nos. 4. de Clerico agitante.

REGULA LXXIV.

Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Quomodo intelligenda?
- 3 Pontus verus sensus illius.
- 4 Declaratur Juris exemplis.
- 5 Solvitur Obiectio.

Desumptam ajunt hanc Regulam ex l. 1. ff. de Const. Princip. ibi: Nam quod Princeps alicui ob merita indulget, vel si quam penam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur. Concordat, & affinis est Regula 7 de Reg. Jur. in 6. Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona. & Reg. 28 eod. Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. De quibus vide suprâ suo loco, & applicanda etiam hic applica.

Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam loqui, & intelligendam esse de iis favoribus, gratiis &c. quæ à Papa, vel alio supremo Principe alicui in specie, ex speciali ratione, vel beneplacito conceduntur contra, vel ultra jus commune: & velle, ne hæc in exemplum, vel consequentiam, etiam ob paritatem rationis ab aliis trahantur. Hinc

Resp. II. Verus Regulæ sensus hic est: Quod alicui in singulari ex speciali favore, & gratia à Papa, vel alio supremo Principe contra, vel ultra jus conceditur, ab aliis trahi non debet in exemplum, vel consequentiam, ita, ut existant, id sibi quoque in simili casu, & existente eadem ratione licitum. Per Jura, & Juris Regulas n. 1. allegatas. Ratio Regulæ est, quia favores & gratiæ speciales contra jus, vires suas præcisè recipiunt ab intentione & voluntate concedentis. Vivianus hæc arg. c. 2. de Rescript. intentio autem, & voluntas concedentis non est, ut quod alicui in singulari ex speciali favore & gratia impertitur, ad alios extendatur, sed tanquam favor, & privilegium personale personam duntaxat sequatur, & cum ea extinguitur; consequenter ab aliis in exemplum trahi non possit: præsertim cum per similes speciales favores & privilegia personalia, non ea, quæ juris communis, & per consequens aliis etiam in simili communia sunt, sed quæ contra jus, vel ultra id, quod vi illorum permittitur, concedantur; siquidem Quæ à Jure communi exorbitant,

REGULA LXXV.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.

SUMMARIUM.

- 1 Frangenti fidem, fides frangatur eidem.
- 2 Pontus verus sensus Regule.
- 3 Quæ procedit, etiam in modico duntaxat fides violatur:

nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, juxta c. Reg. 28. de R. J. in 6.

Exempla in Jure, & in praxi habentur plurima; Sic enim, uti bene specificat Dynus hic. si Papa ex gratia speciali concedit, quod quis habere possit plura beneficia curata: percipere fructus sine residentia: vel si quem eximit à solvendis decimis. Aut si Princeps aliquem declarat à solvendis tributis, vel aliis oneribus publicis immunem, hoc non potest ab alii trahi in exemplum, ita ut tali speciali favore sine speciali concessione & ipsi fruatur. Speciale etiam exemplum habetur can. Petisili. 17. cau. 7. q. 1. ubi Zacharias Papa ex speciali gratia concessit quidem Episcopo Moguntino, ut sibi ipsi possit designare successorem, tamen addidit: Hoc nulli concedi alii patitur, quod tibi, charitate cogente largiri censuimus. Simile quid habetur can. Contra morem. 8. dist. 100. ubi Gregorius arguit, Archi-Episcopum Ravennatensem, quod intuitu privilegiorum aliis Ecclesiis specialiter concessorum, usus fuerit pallio extra Missarum solemniam, eumque adegit, ut vel probet, etiam suæ Ecclesiæ simile speciale privilegium esse concessum, vel in defectu probationis, universalis Ecclesiarum Metropolitanarum mori, jure commune se accomodat. ibi: Aut enim mos omnium Metropolitanorum etiam à tua est fraternitate servandus, aut si tuæ Ecclesiæ aliquid specialiter dicit esse concessum, præceptumve à prioribus Romana urbis Pontificibus, quod hæc Ravennati Ecclesiæ sunt concessa, à vobis oportet ostendi.

Obijcies contra Regulam l. 1. §. 2. C. de Novo Codice faciend. ubi satis clarè contineri videtur, etiam ea, quæ personæ conceduntur, generalis constitutionis vim habere, & ab aliis in exemplum trahi posse. Resp. Legem hanc de illis loqui Rescriptis, quæ quidem ab initio speciali personæ, aut communitati sunt inscripta, postea verò propter utilitatem communem Codici, vel Juri communi Canonico, aut Civili, tanquam leges communes fuerunt inserta, sicque merito ad exemplum trahenda. Ita enim sonant verba legis præfatæ: Sicut & illas (intellige constitutiones) vim generalis constitutionis obtinere palam est, quæ ad certas personas rescripta, vel per pragmaticam sanctionem ab initio data; eisdem novo Codici, propter utilitatem Sanctionis insertæ fuerunt: cujusmodi Rescriptis Jus commune plenum est.

- 4 Et quamvis violans per æquivalens velit satisfacere:
- 5 Aut à præstando promisso fuerit legitime impeditus.
- 6 Licet pars adversa juramento firmasset suam fidem.
- 7 Declaratur Regula exemplis Juris. & n. seq.

- 9 Violante uno fidem, in arbitrio servantis est, utrum pariter velit eam frangere, vel continuare contractum, & penam petere.
- 10 Etiam hosti est servanda fides.
- 11 Ambobus conjugibus pari consensu continentiam voventibus, si unus eorum illam violat, tenetur nihilo minus alter servare.
- 12 Fallit Regula in contractu cum pupillo.

Concordat cum Regula illud tritissimum & verum Brocardicum verficulo expressum: Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. Eam esse intelligendam juxta sequentem proprium illius sensum. Is, qui fidem in contractu, vel quacunque conventionione alteri datam non servat, id est, non præstat, quod promissit, non potest ab altero prætere, ut sibi datam, circa idem factum fidem observet, seu, quod reciprocè promissit, præstat. Ratio Regulæ est; quia omni contractui tacite inest hæc conditio: si fidem datam alter servavit, arg. l. Cum proponas. 21. C. de Pactis. consequenter, si una pars contractum fidem de re, materia, vel facto aliquo non servat, nec pars altera suam de eodem datam fidem servare tenetur.

Procedit Regula, etsi in modico duntaxat ab una parte frangatur fides; quia etiam tunc ab altera observandam fidem prætere nequit, & petens exceptione de prius violata fide removeri potest; quemadmodum fit in emptione emptor etiam modicam partem pretii stipulati non solvit, venditor fidem servare, & rem venditam tradere non tenetur. l. Julianus. 13. §. 8. ff. de Action. Empti. Strein. hic. n. 2. Baldus ad l. Pacta. ff. de Contrah. empti. Nisi forsitan id, quod desideratur, tam modicum sit, ut merito præsumi possit, ad hujusmodi minutias noluisse respicere contrahentes. l. 1. §. 8. ff. de Edicto. l. Editio.

Procedit insuper Regula, etiam si fidem violans velit per aliquod æquivalens satisfacere; quia ut ad pro alio, invito creditori, solvi non potest, ut dicitur l. 2. §. 1. ff. de R. b. credit. si cert. per. Sic v. g. si mutuum alicui dedisti pecuniam cum conditione, ut ipse iterum in parata pecunia solvat, non teneris aliam rem ejusdem preit accipere, immo nec acceptare, si mutuum accipiens velit suum debitorem, qui solvat, substituere. l. Eum. ad quo. 16. C. de Solution. ibi: Eum, à quo mutuum sumpsisti pecuniam, in solutum, nolentem accipere nomen debitoris tui, compelli Juris ratio non permittit.

Procedit ulterius Regula, etiam si pars una fidem servare ex causa necessaria impeditur, sicque absque culpa existat; quia licet in tali casu excusetur à mora, & pœna, l. Si vehenda. 10. §. 1. ff. de Lege Rhodia de Jactu. Tamen exinde alteram partem obligare non potest ad servandam fidem, vel actionem propterea contra ipsam instituire. l. Ex conducto. 15. §. 6. ff. Locati.

Procedit rursum, etsi una pars juramento firmavit suum promissum, & fidem; quia etiam hujusmodi juramento facta promissio vel contractus tacitam continet conditionem: si pars altera fidem, & promissum servet, conditionem impositam, & susceptam adimpleat. c. Pervenit. 3. de Jurjur. ibi: Nec tu ei, etiam si promissum tuum juramento, vel fidei obligatione, interposita conditione firmasset, aliquatenus teneris; si constet, eum conditioni minime paruisse.

Declaratur Regula, & firmatur ulterius exemplis Juris: Sic enim si Petrus per viam transactionis liti, ea cum conditione, renuntiavit, ut Paulus intra mensis spatium certam pecuniæ quantitatem solvat: & Paulus intra dictum mensem pecuniam non sol-

vit, Petrus renuntiationi liare non tenetur, sed ad litem redire potest, arg. l. Cum proponas. 21. C. de Pactis.

Sic pariter si duo fratres habentes plura prædia, vel domos in communi cum mutua conventionione sub certa pœna, ne alienentur, & unus eorum aliquid alienavit, non potest hic prætere ab altero fratre, ne ipse alienet. arg. l. Cum Pater 77. §. Libertis. 27. ff. de Legat. II. Sic quoque, si quis pro certa pensione annua alteri ad certos annos locavit domum suam sub certa pœna, quod eum expellere non velit, nec possit: potest locatarium liberè expellere, & pœnam subire non tenetur, si pensionem juxta promissum non solvit, textu, & casu expresso l. Quæro. 54. §. 1. ff. Locati.

Notandum tamen cum Glossa hic, quod si duæ partes sub certa pœna mutua sibi invicem promittunt, & una pars prius fidem violat, in libertate non frangenti fidem sit, vel ulterius servare pactum, si melius ei videbitur, ac interea petere solutionem pœnæ, arg. l. Cum par. 154. ff. de Reg. Jur. ibi: Illi debet permitti petere penam, qui in ipsam non incidit: vel fidem pariter frangere; quò casu tamen hinc inde fit mutua compensatio pœnæ: c. Constitutus. 7. De Panis. ibi: Licet autem in instrumento Episcopi expressa fuerit certa pœna, quam pars contractum non servans solvitur observant: cum tamen utraque pars venisse contra illum ex confessione propria convincatur- utramque partem ab ea reddimus absolutam.

Obijcitur autem contra Regulam 1. can. Noli existinare. 3. cau. 23. q. 1. ubi habetur: Fides enim quando promittitur, etiam hosti servanda est: atqui hostis non servat fidem; ergo. Resp. cum Glossa, fidem omnino etiam hosti servandam esse, si & ipse eam servat: secus si hic eam violat. Idem dic in similibus arg. can. Sta subiectus. 7. dist. 95. ibi: Scitum est illud oratoris Domitii: cur ego te, inquit, habeam ut Principem, cum tu me non habeas ut Senatorem.

Obijcitur 2. Si conjuges mutuo consensu continentiam vovent, & unus eorum adulteratur, tamen pars innocens adhuc tenetur ad servandam continentiam. can. Quod Deo. 4. cau. 33. q. 5. ibi: Quod Deo pari consensu voveratis, perseveranter reddere ambo usque in finem debuistis: à quo proposito, si lapsus est ille, tu saltem inst. nullissime persevera. Resp. hoc verum esse, quia in hoc casu fides non fuit promissa homini, sed Deo, qui fidem nunquam violat. Et hinc licet pars una adulteretur, tamen innocens votum Deo factum servare debet: quamvis adulteram ad thorum, & cohabitationem admittere, & debitum ei reddere haud amplius obligetur, nisi & ipsa postea adulteretur. c. Significasti. 4. de Divort.

Quæritur II. An, & quas fallentias patiatur Regula LXXV? Resp. Eam fallere in contractu cum pupillo, inito sine auctoritate tutoris. l. Julianus. 13. §. 29. ff. de Action. empti. hunc enim contractum pro libitu frangere potest pupillus, alter verò eundem servare tenetur. ibi: Si quis à pupillo sine auctoritate tutoris em. rit, ex uno latere constat contractus; nam qui em. obligatus est pupillo: pupillum sibi non obligat. Et hoc in favorem ætatis pupillaris à Jure specialiter sancitum est: quod cum emens à pupillo scire potuit & debuit, sibi imputare debet, quòd cum illo sine auctoritate tutoris contraxerit.

REGULA LXXVI.

Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare.

SUMMARIUM.

- 1 Quid nomine personae intelligatur in Regula?
- 2 Ponitur versus sensus Regulae.
- 3 Declaratur exemplis Juris.
- 4 Solvantur objectiones.
- 5 Fallit Regula primo in delictis omissionis.
- 6 Secundo, quando Praelatus cum consensu Capituli delinquit.
- 7 Tertio, in Interdicto.
- 8 Quando ex delicto personae aliquid ad Ecclesiam pervenit, haec inde facta est ditior.

Queritur I. Quomodo haec Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Nominem personae in hac Regula intelligantur non tantum Praelati Ecclesiarum, tam Regularium, quam saecularium: sed etiam omnes illi, sive saeculares Laici sive Clerici, qui Ecclesiae, vel Monasterio servant, ejusque res aut jura administrant, vel membra Ecclesiae, monasterii existunt. De quibus Regula dicit, quod eorum qualicumque delicta, sive factum committant, sive occidant, sive farentur, aut alias damnificent, vel injuriis afficiant &c. in detrimentum Ecclesiae redundare non debeat, consequenter Ecclesia ad reparationem damni illati, vel poenam delicti impositionem non obligetur, nec ipsamet in bonis suis damnari pati habeat. Hinc

Resp. II. Genuinus Regulae sensus sequens est: Si personae, quae Ecclesiae sive regulari, sive saeculari deservit, ejusque res, aut jura administrant, vel membra illius existunt, quales sunt Praelati, privati Clerici, aut Religiosi, Officiales sive regulares, sive saeculares, puta Granarii, Cellarii, & conomi, procuratores &c. delictum committunt, non debet illud in detrimentum Ecclesiae redundare, nec et quomodolibet praedictare, consequenter non tenetur Ecclesia damna exinde illi illata rescire, aut poenam aliquam subire, nec damnum sibi illatum sustinere. Ratio Regulae est, Tum, quia delicta suos tenere debent auctores, c. Quasi-vit. 2. de His, quae a majori parte Capiti, ibi: Cum peccata suos auctores tenere debeant, nec pena sit ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum, junctim l. Sancimus. 22. C. de Penis. consequenter, cum praefatae personae, si delinquant, id non Ecclesiae, sed suo nomine faciant, eorum delicta illis solis, non Ecclesiae nocere debent. Tum, quia Ecclesia gaudet favore & jure minoris debeat semper illata servari: Minor autem ex alieno, etiam tutoris delicto, non tenetur, arg. l. penult. ff. de Tubulis exhibendis. Acedit quod Ecclesiae Praelatus, vel alius administrator illius meliorem quidem reddere possit conditionem Ecclesiae, sed deteriolem facere non debeat, c. 1. de In Integr. restit. & c. 2. de Donationibus. ibi: Cum Episcopus, & quilibet Praelatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non dominus, conditionem Ecclesiae meliorare potest, facere vero deteriolem non debet.

Declaratur Regula exemplis Juris, ubi plurima inveniuntur; Sic enim, si Episcopus tam grave delictum committit, ut merito deponatur, bona Ecclesiae non confiscantur, can. Si Episcopus. 3. cau. 16. q. 6. ubi pro ratione affertur Regula nostra, ibi: quia delictum persona in damnum Ecclesiae non est convertendum. Sic etiam, si procurator, aut Syndicus producat factum instrumentum, ab ipso Praelato consecutum, id Ecclesiae non praedictat, c. Cum Venerabilis. 6. §. ad

haec de Except. Sicuterius res Ecclesiae male alienatas revocare potest non tantum successor Superior, & capitulum, sed ipse Praelatus male alienans, allegando etiam, & fatendo propriam turpitudinem, etiam si jurasset non repetere: prout amplius dictum, & probatum habetur Lib. III. Tit. 13. §. 3. Adducit Dynus plura alia exempla de variis delictis per personas commissis, & universaliter concludit, quod vi Regulae nullum horum praedictare valeat Ecclesiae, prout etiam n. 1. jam diximus.

Objicitur autem I. contra Regulam I. Jubeamus. 10. C. de Sacros. Ecclesiis. vi cuius etiam navis Ecclesiae fisco addicitur ob delictum Praelati, quod eam publicae transactioni subtrahit. Resp. Leges Civiles, sacris canonibus manifeste obviantes, esse nullas; cum Legislatores civiles careant potestate aliquid statuendi in praedictum Ecclesiarum, c. Quae in Ecclesiis 7. & c. Ecclesia. 10. de Const. ibi: Nos attendentes, quod Laicis—super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. Vel dic cum Dyno & Glossa delictum ibidem circa navem commissum fuisse cum consensu & consilio capituli: in cujusmodi casibus Regula non procedit juxta mox dicenda n. 6. Objicitur 2. Repudiatio Legati a Praelato facta censetur in Jure valida: ergo factum personae nocet Ecclesiae: Resp. negando consequentiam; quia in repudiatione non agitur de damno vitando, sed tantum de lucro non captando: non autem est par ratio, lucra non facere, & quaerita perdere; prout amplius de hac materia dictum habetur Lib. III. Tit. 10. §. 2.

Queritur II. An, & quas fallentias patiat Regula LXXVI? Resp. Eam fallere I. in delictis omissionis a Praelato, vel aliis personis factis; haec fiquidem etiam Ecclesiae praedictant arg. can. Placuit. 15. cau. 16. q. 3. Item c. 1. & seq. de Praescript. ex quibus clarè patet, quod delictum Praelati, omittentis repetere rem ecclesiasticam, nocet Ecclesiae etatenus, quatenus contra eundem debito tempore currit praescriptio.

Fallit 2. Quando Praelatus delinquit cum consensu Capituli, & communicato consilio, arg. c. Cum dilectus. 2. de Ordin. cognit. junctim Glossa ibidem: ubi exceptio spoliationis a Praelato factae propterea etiam Ecclesiae nocet. Vivianus hic. Et ratio est; quia, etsi Praelatus solus delinquendo non representet Ecclesiam, sicque ei non nocet: tamen, quia cum Capitulo, vel Collegio eam verè representat, eidem etiam nocet, si cum consilio & consensu eorum delinquit, quia sic totam Ecclesiam deliquisse censetur. Et procedit haec fallentia sive omitendo, sive committendo fiat delictum, ob paritatem rationis.

Fallit 3. in Interdicto, c. Cum dilectus. 8. de Religiosis domibus. ubi propter delictum Praelati Monasterium interdicto subicitur; quod, etsi speciale, non tamen adeo durum censet D. Thomas 4. dist. 18. q. 2. art. 3. q. 2. ad secundum dicens, quia interdictum non est tanta poena, quanta excommunicatio; quia interdictum non fraudantur suffragii Ecclesiae, sicut excommunicatio.

Fallit 4. quando ex dolove delicto Praelati, aut aliter ex recensitis n. 2. personis aliquid ad Ecclesiam pervenit, & haec inde facta est ditior; Dynus haec, qui sicut Jure cavetur, ut pupillus teneatur de dolo, aut delicto tutoris, si inde ad eum aliquid pervenit, l. q. ff. de Tribus. ad. cum Concord. & dominus de delicto servi: ac Pater de delicto filii, si quid ex horum de delictis aliquid ad eos pervenit l. 1. §. 15. 19. & 20. ff. de Vi, & vi armat. sic etiam Ecclesia

Regula LXXVII. Rationi congruit, ut &c.

etatenus tenetur, quatenus id, quod ex delicto personae ad se pervenit, restituere debet. Fallit §. in confessione judiciali Praelati. de quo fuffis Lib. II. Tit. 18. §. 4.

REGULA LXXVII.

Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

SUMMARIUM.

- 1 In quo differat haec Regula a Regula LV?
- 2 Ponitur versus sensus Regulae.
- 3 Et ratio illius.
- 4 Declaratur exemplis Juris, & duobus seqq.
- 5 Patronus Ecclesiae quae praerogativa honoris, & quae onera habeat.
- 6 Successor Praelatus tenetur solvere Antecessoris debita, pro utilitate Ecclesiae contracta.
- 7 Condicio onerosa adhaerens personae non transferatur ad Successorem.

Praesens Regula in substantia omnino concordat cum Regula LV. de Reg. Jur. in 6. ac in hoc solo differre videtur, quod haec posterior universaliter, & indistinctè dicit: Qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra. Praesens verò Regula loquitur specificè de casu successionis in honore, velisque, ut qui in honore succedit, succedat etiam in onere honori annexo.

Queritur itaque, quomodo haec Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. Eam esse intelligendam juxta sequentem genuinum illius sensum: Quicumque alicui succedit in dignitate, vel alio munere honorifico, aut praerogativa quadam, eidem etiam succedit in onere, seu in obligationibus tali dignitati, vel muneris honorifico annexis; easque uti antecessor adimplere, & praestare debet. Fundatur Regula in ratione, & aequitate naturali, prout ipsa Regula innuit illis verbis: Rationi congruit: quam adeo aequum duxit Imperator, ut intolerabilem minime ferendum pronuntiavit illum, qui eidem non acquiescit, l. un. §. 4. C. de Caduc. tollend. ibi: Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. Ad propositum etiam servit effectum Gregorii Papae can. Rationis ordo. 9. dist. 106. ibi: cum honoris augmento cura etiam sollicitudinis debet accrescere, ut cultui vestium actionis quoque ornamenta conveniant.

Rationis locò fiat etiam, quod successor in manere honorifico habeatur quasi pro haerede antecessoris, ut advertit Glossa in c. 1. de Solut. v. Praedecessoris. consequenter, sicut haeres in universum jus

tam passivum, quam activum succedit, indèque onera & debita haereditariè annexa praestare debet, sic idem facere oportet eum, qui quasi haeres alteri in honore succedit cit. c. 1. de Solut.

Declaratur & firmatur Regula ulterius exemplis Juris. Primum adducit Dynus de substituto haerede; quia haereditas in Jure honor vocatur, l. Filium §. §. ff. de Legat. praes. Sicut enim haeres institutus, sic etiam substitutus una cum honore in onere, puta, solvendi legata, & alia debita, succedit; quia relicta ab institute videntur legis potestate tacitè repetita ab instituto, l. Licet Imperator. 74. ff. de Legat. I.

Sic filius, qui jure haereditario succedit in jus Patronatus, indèque honorem & commoda reportat, puta, honoratiorem locum in processione, praecedentiam in acceptanda purificatione, in capiendo modesto auxilio, si ad inopiam vergat, c. Nobis. 25. de Jure Patronatus. ibi: Pro fundatione quoque Ecclesiae honor processions fundatori servatur: & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modè succurritur, sicut in Sacris est canonibus institutum, cum Concord. idem in oneribus quoque, & obligationibus, defendendi videlicet Ecclesiam, & quantum possibile, curandi, ne ullò modò injustè patiar, aut bona illius ad alium, quam destinatum usum, applicentur, succedit, arg. can. Filius, vel nepotus. 31. & can. Decernimus. 32. cau. 16. q. 7.

Sic Praelatus succedens in honore succedit etiam in onere & obligatione solvendi debita ab antecessore ob utilitatem Ecclesiae contracta c. de Solut. ibi: Sicut filius debita parvis solvere tenetur, ita Praelatus sui praedecessoris pro Ecclesiae utilitate contracta. Et ille, qui honorifico mortui Judicis officio substituitur, onus & obligationem habet, sequendi judicium, quod ipse ferre debeat, arg. c. Quoniam Abbas. 14. de Offic. & potest. Jud. deleg.

Illud tamen cum Dyno hic. n. 5. & aliis notandum, quod, si onus, vel conditio onerosa adhaeret personae antecessoris, succedens in honore illius, non succedat in tali onere, arg. l. Legatum. 24. ff. de Admenda. legat. ibi: Legatum sub conditione datum, cum transferatur, sub eadem conditione transferri videtur, si non conditio priori personae cohaerere.

REGULA LXXVIII.

In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde? & quibus a quasi similibus differat?
- 2 Ponitur versus sensus Regulae.
- 3 Concessa propter necessitatem, cessante necessitate, cessant. ibid.
- 4 Beneficia saecularia, extra casum necessitatis, Regularibus non sunt conferenda.
- 5 Pater ob nimiam inopiam vendere potest filium.
- 6 Ubi omnino similis, vel major ratio habetur, si extensio concessionis: & quare?

Desumitur haec Regula ex l. Quae propter. 162. ff. de Reg. Jur. ibi: Quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. Concord. Reiffenstuel Jus Can. Tom. VI.

dare videntur Reg. XXVIII. Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, & Reg. LXXIV. Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ad alios in exemplum. A quibus tamen differt, & propterea superflua non videtur, quod praesens Regula specialiter loquitur de eo, quod ob necessitatem: praecedentes verò de eo, quod ex speciali favore & gratia conceditur, ut notat Glossa hic.

Queritur, Quomodo Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. Regulam intelligendam esse in sensu sequenti, tanquam proprio ejusdem: Id, quod intuitu urgentis alicuius gravis necessitatis subinde conceditur, aut permittitur, ab aliis sumi non debet pro argumento, quasi & illis in hujusmodi

iusmodi casu permissum, aut concessum esset. Ratio Regule est; quia, cum huiusmodi concessiones a Jure communi exorbitent, in consequentiam non sunt trahende juxta Regulas n. 1. allegatas: immo non tantum non trahende in exemplum, sed in ipso etiam, cui facte sunt, cessare debent, necessitate tanquam causa concessions, cessante. can. Quod pro. 41. cau. 1. q. 1. ibi: Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet utique cessare. Quod idem reperitur can. Quod pro remedio. 7. cau. 1. q. 7. Et merito; cum cessante causa cesset effectus. c. Cum cessante. 60. de Appellat.

- 3 Declaratur Regula, & firmatur exemplis Juris: Sic est in necessitate ob inopiam Sacerdotum beneficia secularia, & Parochie etiam si Religiosis conferri valeant; id tamen cessante tali inopia, vel alia vera necessitate praticari non debet: prout ex illo trito: Secularia beneficia secularibus, & Regularia Regularibus sunt conferenda: amplius diximus Lib. III. Tit. 5. §. 2. n. 26. Sic pariter, quando ob inopiam Sacerdotum conceditur unio duarum parochiarum, ea cessare debet, quando habetur copia Sacerdotum. Sic rursus, si ob certam gravem necessitatem tempore quadragesime conceditur elus carni-um, ad aliud tempus, necessitate vacans, trahi non debet. Sic, est Bavaris tempore belli Suevici ob varias necessitates universaliter fuerit concessum in quadragesima edere carnes, uti post Caramuel refert Strein. hic. tamen, quia necessitates tunc existentes non amplius extant, id eis non amplius licet, per Jura & rationes allegatas.
- 4 Sic, licet pater ob nimiam paupertatem & egesta-

REGULA LXXIX.

Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi ipsi competere dignoscatur.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Ponitur versus sensus illius:
- 3 Et declaratur exemplis Juris.
- 4 Solvantur objectiones. & duob. seqq.
- 5 Patronus laicus quadragesime, Ecclesiasticus semestris habet ad presentandum.
- 6 Alieno, sed non suo nomine dare quis potest, quod non habet.

Definitur hæc Regula ex l. Nemo plus juris. 54. ff. de Reg. Jur. ibi: Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet. Et l. Nemo plus commodi 120. ff. eod. Nemo plus commodi heredi suo relinquit, quam ipse habuit. cui concordat etiam c. Nuper. 6. de Donat. inter virum & uxorem. ibi: Cum regulariter nullus in alium plus juris transferre possit, quam eum constat habere. & c. Is. qui. 46. de Reg. Jur. in 6. ibi: Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet: consequenter non majori.

Queritur. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. Regula, ex se clara, hunc proprium sensum habet: Quantumvis aliquis sine per contractum, vel dispositionem inter vivos, sive mortis causa alicui suo nomine dat, assignat, relinquit, aut transferri, plus Juris in eum transferre non potest, quam ipse habuit. Ratio Regule manifesta; quia nemo dare potest, quod non habet, can. Daibertum. 24. cau. 1. q. 7. ibi: Qui nihil habuit, nihil dare potuit.

Declaratur Regula, aliis ex se clara, exemplis Juris. Primum ponit Dynus hic n. 1. si vendo tibi rem aliquam, illud juris, quod ego venditor in eandem habeo, & tu emptor habebis: si ego nihil juris

tenis videlicet causâ vendere possit filium, vel filiam. l. 2. c. de Parribus, & qui filios. tamen in simili causa id non licet matri, vel avo paterno, ut cum aliis docet Brunnean in cit. l. n. 1.

Notandum tamen cum Glossa, & Dyno hic, quod, etsi regulariter loquendo, alius pro argumento & exemplo sumere non debeat id, quod aliquando intuitu necessitatis fuit concessum, tamen id fieri possit & debeat in casu, ubi eadem gravis, vel major urget necessitas; quia argumentum a simili ad penitus simile procedit; cum ea, quæ conveniunt in identitate rationis, non debeant separari, secundum constitutionem Juris, ut habet Summarium in l. Titulud. 32. ff. ad Leg. Aquiliam. cui concordat c. Inter corporalis. 2. de Translat. Episc. ibi: Propter expressam tamen similitudinem, vel potius identitatem cum de similibus idem iudicium sit habendum. Et quamvis argumentum a paritate rationis desumptum, ubi est eadem ratio, eadem est legis dispositio, non semper procedat, ac præsertim locum non habet in iis, quæ a Jure communi exorbitant: tamen, ubi rationis loco stat gravis necessitas, & hæc in aliis eadem, omnino procedit, eod quod necessitas gravis aliis ordinariè excuset à servanda lege humana juxta Regulam IV. de Reg. Jur. in Quinto Decret. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum &c. & dicta ad eandem Regulam supra. Addit nihilominus Dynus: nisi in concessione reperitur expressa, vel æquipollens prohibitio in contrarium, uti fit in cit. l. 2. c. de Parribus, qui filios. ibi: Venditione in hoc tantummodo casu valente.

habui, & tu nihil habebis: si ego directum, sed non utile, vel utile, sed non directum: vel si liberam, aut servitutem, vel alio onere affectam, tu quoque taliter, & non aliter habebis, clarò textu l. Traditio. 20. ff. de Adquirendo rer. Domin. ibi: Traditio nihil amplius transferre debet, vel potest ad eum, qui accipit, quam est apud eum, qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert; si non habuit ad eum, qui accipit, nihil transfert. Quoties autem tale dominium transfertur, ad eum, qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradit: si servus fuit fundus, cum serviutibus transit: si liber, uti fuit. Et si forte serviutibus debebantur fundo, qui traditus est, cum jure servitutem debitarum transfertur. Idem est de aliis contractibus, & actibus inter vivos, quibus res transferuntur, universaliter enim, & merito dicitur l. In his. 175. ff. de R. J. Non debet melioris conditionis esse, quam auctor meus, à quo jus in me transit. De dispositionibus mortis causa, patet ex cit. Reg. 120. ff. de Reg. Jur. Nemo plus &c.

Obijcitur tamen contra Regulam 1. Patronus laicus, etsi quatuor duntaxat menses ad presentandum habeat, tamen si juxta patronatus in Ecclesiam, vel Monasterium transfertur, huic illico competunt sex menses ad presentandum. c. un. de Jure Patron. in 6. ibi: licet Patronus laicus ad presentandum tempus habeat quadragesime duntaxat; Ecclesia tamen, vel Monasterium, cui facta est à Laico Juris patronatus collatio, tempus habeat semestris. Ergo Patronus laicus in tali casu plus juris transfert, quam ipse habuit. Resp. negando consequentiam; quia patronus laicus simpliciter suum jus, quod habet, transfert: quod autem novus patronus, utpote Ecclesiasticus, plus temporis acquirat, non à patrono laico transfere, sed à Juris dispositione provenit, quæ Patronis Ecclesiæ

celestasticis sex menses ad presentandum concedit. cit. c. un. de Jure Patron. in 6.

Obijcitur 2. Capitulum, si vacante, potest dare licentiam ordinandi subditos diocesanos. c. Cum nullus 3. de Tempor. Ordinam. in 6. q. 4. tamen ipsum caret: ergo dat, quod non habet. Resp. Capitulum non nisi jurisdictionem, quam habet, tribuere, ut alius potestatem. Ordinis aliàs jam præditus in præfatos subditos uti valeat.

Obijcitur 3. in l. Non est novum. 46. ff. de acquirend. rer. Domin. habetur textus, qui videtur Regulæ aperte contrarius; sic enim sonat: Non est novum, ut, qui dominium non habet, alii dominium præbeat. Nam & creditor pignus vendendo, causam dominii præstat, quam ipse non habuit. Sic etiam tutores, curatores, procuratores &c. licet dominium rerum non habeant, illud nihilominus in alios transferant. §. Nihil. 42. Instit. de Rerum division. cum Con-

cord. Ergo plus juris transferre quis potest, quam ipse habet. Resp. negando rursus consequentiam, quia omnes recensiti transferentes alienum dominium non suo proprio, sed aliorum, verorum videlicet dominorum nomine transferunt: etiam creditor rem oppignoratam vendens, utpote cui dominus per contractum ad id potestatem tribuit, ut si tempore debito non solvat, creditor pignus vendere valeat. §. 1. Inst. Quibus alienari. ibi: Creditor pignus ex pactione, quamvis ejus ea res non sit, alienare potest. Sed hoc forsitan ideo videtur fieri, quod voluntate debitoris intelligitur pignus alienari; quæ ab initio contra eum pactus est, ut liceret creditori pignus vendere. si pecunia non solvatur. Regula autem nostra de iis duntaxat loquitur, qui proprio nomine jus transferunt. Plures objectiones adducit, & solvit Glossa hic.

REGULA LXXX.

In toto partem non est dubium contineri.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Ponitur versus sensus Regule:
- 3 Et declaratur exemplis Juris.
- 4 Solvantur objectiones. & duob. seqq.
- 5 Quando legitur omne aurum & argentum, non comprehenduntur pecunia, & nummi, nec ejus nomine veniunt.
- 6 Quando materia transit in materiã, censetur assumere aliam speciem.

Definitur hæc Regula ex l. In toto. 113. ff. de Reg. Jur. ibi: In toto & pars continetur. Et concordat supra jam explicata Regula XXXV. de R. J. in 6. Plus semper in se continet, quod est omnis, consequenter, quia totum plus est, quam pars illius, hæc in illo continetur.

Queritur, Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Regule, ex ipis verbis clare, & lamine nature notæ, sensus hic est: Certum est, quod in toto etiam pars illius continetur. Cui, si in eo non contineretur, jam hoc ipso pars illius non esset. Tendit autem Regula eod præcipue, ut intelligatur, creditor, & fidejussor teneatur, ac iudicetur, eum, qui totum habet, emit, vendit, lucratur, in testamento acquirit, vel perdit, amittit &c. etiam partem huiusmodi totius habere, emere, vendere, lucrari, acquirere, perdere, amittere &c. Et qui jus ad totum habet, etiam ad partem illius habere.

Idque patet exemplis Juris: Sic enim, si quis in iudicio totam v. g. domum petit, & succumbit, etiam quoad partes illius succumbit censetur: indeque, si postea petat partem ejusdem ex eadem causa (secus si ex diversa causa) obstat exceptio rei judicate. l. Si quis cum totum. 7. ff. de Exception. rei judicate. Nam pars in toto est, ut dicitur ibidem.

Et contra eod eandem rationem, qui totam domum lucratur, etiam partes illius, tectum, parietes &c. lucratur. Sic etiam, qui fundum totum stipulatur, etiam usufructum, tanquam partem ejusdem, stipulari censetur, siquæ nihil agit, si, postquam totum fundum stipulatus est, postea usufructum ejus stipulatur. Sic etiam nihil agit, qui prius usufructum fundi, & postea ex eadem causa totum fundum stipulatur. l. Qui usufructum fundi stipulatur deinde fundum, similis est ei, qui partem fundi stipulatur, deinde Reiffensuel Jus Can. Tom. VI.

totum; quia fundus dari non intelligitur, si usufructus detrahatur. Et è contrario, qui fundum stipulatus est, deinde usufructum, similis est ei, qui totum stipulatur, deinde partem. Sic rursus, cui de jure competit vindicatio pro tota re prius possessi, etiam pro partibus illius eidem competit vindicatio. l. Que de tota 76. ff. de Rei vindicatio. ibi: Que de tota re vindicanda dicta sunt, ead m & de parte intelligenda sunt. Plura huiusmodi Juris exempla, sicut & alia ad propositum vide in cit. Reg. XXXV. Plus semper &c. de R. J. in 6. utpote quæ cum præseni plurimùm concordat.

Certe, tum quantumvis clara apparet hæc Regula, nihilominus contra eam fieri solent à Juristis objectiones solutu tamen faciles. Sic enim Obijcitur 1. Licet alicui omne aurum, & argentum legetur, tamen nummi, & pecunia ex auro & argento cussa non continentur legatæ: cum tamen videantur species, & pars illius. l. Cum aurum. 19. pr. ff. de Auro, argento &c. legato. ibi: Cum aurum, vel argentum legatum est, quicquid auri, argenteque relictum sit, legato continetur. -- Pecuniam autem signatam placet eo legato non contineri. Ergo pars non semper continetur in toto. Resp. negando, quod pecunia & nummi cusi sint species & pars auri, vel argenti massivi, cum hoc nomine in Jure ordinariè non veniant. l. Quintus. 27. §. 1. ff. eod. ibi: An, cui omne argentum legatum est, et nummi quoque legati videantur, queritur; Et ego puto, non contineri. Audi rationem; Non facit enim quicquam a genti numero nummos computari. Item argento facto legato, puto, nisi evidenter contra sensum testatoris em appareat nummos non contineri. Vel, nisi aliud aurum aut argentum non haberet, quam pecuniam & nummos; tunc enim de voluntate testatoris satis constaret: uti bene advertunt Doctores. arg. l. Pediculis. 32. §. 4. ff. eod. ibi: Si testator habuit proprium argentum ad usum suum paratum, non videri id legatum, quod negotiandi causa venale proponi soleret.

Obijcitur 2. l. Si convenerit. 18. §. 3. ff. de Pignor. actione. habetur, quod si quis pro pignore dedit sylvam, navis ex arboribus sylvæ fabricata non censetur oppignorata; ibi: Si quis aperit, ut sylvæ sibi pignori esset, navis ex ea materia factam, non esse pignoris, Cossus ait: quia aliud est materia, aliud navis, ergo Resp. cum Glossa in cit. l. §. 3. quando materia transit in materiã, id est, si ex rudi materia fiat artificiosa, ut ex rudibus arboribus fabricatana vis est, assumit novam speciem, non eadem cum rudi

radi materia species, nec pars illius amplius esse censetur: uti videre est in pecunia ex auro vel argento causa; utpote quae juxta dicta n. 4. cum au-

ro & argento mixto eadem species, & pars illius non amplius reputatur, consequenter Regulae nostrae non obstat.

REGULA LXXXI.

In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Quomodo intelligenda?
- 3 Ponitur versus sensus illius.
- 4 Declaratur exemplis Juris. & n. seq.
- 5 Administrator rerum non potest donare. Ibid.
- 6 Vicarius generalis non potest conferre beneficia.
- 7 Solvitur obiectio contra Regulam. & n. seq.
- 8 Transactio generalis extendit se etiam ad incognita, & ignorata.

Desumitur haec Regula ex c. 2. de Penit. & Remiss. in 6. ibi: Cum in generali concessione illa non veniant, quae non esset quis verisimiliter concessurus.

2. Quomodo haec Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam praesentem ita intelligi debere, & intendere, quod, etsi juxta claras Juris Regulas, semper specialia generalibus insunt, l. Semper. 1. q. 7. ff. de Reg. Jur. consequenter specialia sub generalibus comprehendantur: & in toto partem non est dubium contineri; juxta immediatè praecedentem Regulam: Generale autem sit aliquod totum, specialia sub ipso contenta habeantur pro partibus ejusdem: tamen ista, & concordantes Juris Regulae non adeo universaliter, & illimitatè procedant, quin patiantur suas limitationes; & quidem vi praesentis Regulae specialiter illam, quod sub concessione, quantumvis generali, veniat, & comprehendit non censentur illa specialia, quae concedere verisimiliter non intendit generaliter concedens. Hinc

Resp. II. Verus sensus Regulae sequens est: Quando aliqua in genere conceduntur, non intelliguntur concessa etiam illa, quae quidem tanquam species sub tali genere alias comprehenduntur, tamen talia sunt, de quibus verisimile est, quod ea in specie concedere nullatenus intenderit generaliter concedens. Ratio Regulae est; quia verisimile non est, ea, quae speciali nota digna sunt, sub generali concessione comprehendit, nisi expeimantur: cujusmodi sunt prorsus extraordinaria, insolita, & de quibus nec in genere quidem cogitatum est, ut ait Layman ad c. Sedes 15. de Rescrip. vel quae habent impossibilem, aut inhumanam, sive duram à generaliter concedente, vel se obligante, separationem, ut inquit Gloss. hic. Cum enim concessiones generales non nisi confusè aliquà praevia cognitione specialium, & quidem eorum, quae ferè ordinariè, & facile concedi consueverit, fieri soleant: ad prorsus extraordinaria autem, insolita, & difficillima, in iis ordinariè reflexio non fiat; mens & intentio concedentis ad ea se non extendisse verisimiliter praesumitur. Tum, quia sicut alias Inspecimus in obscuris, quod verisimiliter est: c. Inspecimus 45. de Reg. Jur. in 6. idem inspicere debemus in obscuris concessionibus generalibus. Quibus accedit, quod ea, quae speciali nota sunt digna sunt specialiter non notantur, ex industria censentur omissa. l. Item apud. 15. §. 26. ff. de Injur. ibi: Ea enim, quae notabiliter sunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta.

Declaratur Regula & firmatur amplius exemplis Juris: Sic enim in generali concessione administra-

tionis bonorum non censetur venire donationis potestas c. fin. de Offic. Vicar. in 6. ibi: Cum nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa, etiam si talis administratio filio familias committatur. l. Filius familias 7. pr. ff. de Donat. ibi: Filius familias donare non potest, neque, si liberam peculii administrationem habeat, nec enim ad hoc ei conceditur libera peculii administratio, ut perdat. Sic etiam sub generali obligatione pignoris non venit uxor, nec alumni, nec ea, de quibus verisimile est, quod se obligare quis non velit. l. 1. c. Quae Res pignori. Oblig. ibi: Alumnos tuos, & ceteras res, quas neminem credibile pignori specialiter daturum fuisse, generali pacti conventionem, quae de bonis tuis facta est, in casu pignoris non fuisse, rationis est.

Sic rursus generalis commissio facta legato Sedis Apostolicae se non extendit ad causas fidei. Strein. hic. arg. can. Frater noster. 5a. cau. 16. q. 1. Nec ad translationem Episcoporum, c. Nisi specialis. 3. nec ad unionem, vel divisionem Episcopatum, c. Quod translationem. 4. de Officio legati. Sic insuper in generali concessione officii Vicarii Episcopi non comprehenditur libera collatio beneficiorum, c. fin. de Officio Vicar. in 6. ubi etiam Regula nostra pro ratione adducitur illis verbis: Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus Officialis, aut Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non possunt; nisi beneficiorum collatio ipsi specialiter sit commissa. Ex eadem ratione allegata, seu vi Regulae: Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem, uti habetur c. 2. de Penitent. & remission. pr.

Obijcitur autem contra Regulam 1. à Dyno. Illud operatur generale quantum ad omnia, quantum operatur speciale in qualibet specie. l. Si chorus. 79. ff. de Legat. III. ibi: Si chorus, aut familia legetur, perinde est, quasi singuli homines legati sint, juncto l. Si duo. 51. ff. de Administrat. tutor. cui concordat c. Solita. 6. de Majorit. & obediens. circa finem. cum Glossa ibidem: Qui dicit omnia, nihil excipit. Resp. cum eodem Dyno, talia locum habere in illis, quae verisimiliter in specie quis esset concessurus, puta, quae non sunt extraordinaria, insolita, vel concedenti grave damnum afferentia &c. ad alia verò concessio generalis non extenditur; quia derogatur eis per praesumptionem contrariam, uti patet ex Juribus citatis.

Obijcitur 2. Generalis transactio de remissione omnium jurium extendit se etiam ad incognita, & ignorata; cum non amplius liceat recurrere ad novas species postea apparentes, vel instrumenta noviter reperta, prius incognita. l. Sub praetextu. 19. c. de Transact. ibi: Sub praetextu instrumenti postea repertae transactionem bona fide finiam rescindi jura non patiuntur. junctà l. 29. c. eod. ibi Sub praetextu specierum postea repertarum generalis transactio finita, rescindi prohibet Jura. Ergo dispositio, & concessio generalis etiam ad extraordinaria se extendit. Resp. negando consequentiam; quia ex eo, quod partes simili

simili generali transactione intendant litem penitus finire, censetur etiam instrumentis, & speciebus pro-

tunc non apparentibus, juri in eis fundato remanere. arg. cit. LL.

REGULA LXXXII.

Qui contra jus mercatur, bonam fidem praesumitur non habere.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Contra Jus mercari, quid?
- 3 Ponitur versus sensus Regulae.
- 4 Praesumitur male fidei emptor etiam qui ignoranter contra publicam claram legem emit. Ignorantia facti, non Juris excusat. Ibid.
- 5 Declaratur Regula exemplis. Emens à pupillo, sine autoritate tutoris, rem emptam praescribere potest, si ex ignorantia facti, non item juris id fecerit. Ibid.
- 6 Solvuntur obijectiones. & n. seqq.
- 7 Bona fides praesumitur, nisi abesse probetur, ubi allegatur ignorantia facti, non verò Juris.
- 8 Fallit Regula in istis casibus, in quibus fallit Regula XIII.

Sumitur haec Regula ex l. Quomodo in fin. c. de Agricolis, & censuris. ibi: Si lae fidei namque possessorem esse, nullus ambigit, qui aliquid contra legem interdicta mercatur.

2. Queritur I. Quomodo haec Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Contra jus mercari, juxta Regulam istam, censetur omnis ille, qui aliquid emit contra prohibitionem legis sive divinae, sive humanae, sive canonicae, sive civilis, sive statutorum municipalium; & taliter emens praesumitur cum mala fide emere. Hinc

3. Resp. II. Verus Regulae sensus hic est, Quicumque contra publicam, claram, & notoriam prohibitionem Juris, vel legis cujusvisque aliquid emit, id mala fide, sive cum dolo & peccato facere praesumitur, ac propterea semper male fidei possessor, qui praescribere non potest, esse censetur. Rationem hujus optimè allegat Dynus hic. Vel enim scivit emptor prohibitionem Juris, vel non scivit: Si scivit, manifestum, & extra dubium est, quod mala fides, dolo & malitia reperitur in illo; cum quisvis teneatur in actibus suis se conformare legibus & statutis, c. 1. de Constit. Canonum statuta custodiantur ab omnibus. & l. Leges. 3. c. de Legibus. ibi: Leges ut generales ab omnibus aequabiliter impostum observantur.

4. Si non scivit, ex praesumptione Juris pro male fidei emptore, & possessore habetur; cum scire & scire debere, facileque posse (prout res se habet circa claras & notorias legum prohibitiones) paria sint. arg. l. Regula 9. §. 3. ff. de Jur. & facti Ignor. & l. Constitutiones. 12. c. eod. cum Concord. Unde juxta Regulam XIII. de R. J. in 6. Ignorantia facti, non Juris excusat. Ut proin pro male fidei emptore & possessore merito habeatur, qui etiam ex ignorantia contra notoriam & claram prohibitionem emit; qui propterea etiam rem sic emptam praescribere non potest, quia Possessor male fidei ullo tempore non praescribit c. Possessor. 2. de Reg. Jur. in 6. & l. Nunquam. 31. ff. de Jurjur. & Usucap. ibi: Nunquam in usucapionibus Juris error (seu ignorantia) possessori prodest. de qua materia etiam vid. Reg. II. de

R. J. in 6. & Lib. II. Tit. 26. à n. 67.

Exempla Juris habentur innumera, inter quae est, quod, si quis à pupillo, sine autoritate tutoris aliquid emit, ignorans id prohibitum esse, male fidei possessor de Jure praesumatur, & praescribere non possit, secus foret, si haberet ignorantiam facti, putans eum puberem legem. l. Pro emptore. 2. §. 15. ff. Pro Emptore. ibi: Si à pupillo emero sine tutoris autoritate, quem puberem esse putem, dicimus usucapionem sequi, ut hic plus sit re, quam in existimatione. Quod si scias, pupillum esse, putes tamen, pupillis licere res suas sine tutoris autoritate administrare, non capies usucapionem error nulli prodest. Simile exemplum est etiam, si quis à Praelato Ecclesiae, vel Monasterii quid emit non servata praescripta solemnitate Juris arg. c. 1. & c. Tua nuper. 3. de His, quae sunt à Praelatis.

Obijcitur 1. contra Regulam, c. Apostolica. 9. de Donation. valet praescriptio rei per Episcopum Monasterio, magno cum Ecclesiae damno, consequenter contra Juris prohibitionem donatae, ibi: poterit legitime revocari, nisi praescriptione, vel alia exceptione legitima, actio hujusmodi excludatur. Resp. cum Glossa communiter recepta, ibi fuisse ignorantiam facti, & non Juris: Facti enim quaestio erat, utrum per allegatam ibidem donationem quinqueaginta, vel centesimae partis de censibus Ecclesiae eadem graviter laedatur; atque ideo monasterium id, quod recepit, praescribere potuit; cum habuerit titulum & bonam fidem, ac de reliquo facti ignorantia excuset, cit. Reg. 13. de R. J. in 6. & praescriptionem non impediatur arg. cit. l. Pro emptore.

Obijcitur 2. Bona fides semper adesse praesumitur, nisi abesse probetur, arg. l. Dolus. 6. c. de Dolo & l. 2. de Praescript. long. temp. cum Concord. Resp. cum Dyno, id verum esse, ubi allegatur ignorantia facti; quia tunc Juris praesumptio allegationi non resistit: secus est, quando allegatur ignorantia Juris; tunc enim non bona, sed mala fides praesumitur, quia praesumptio Juris allegationi resistit cit. l. 2. ff. Pro Emptore. & c. Ignorantia. 3. de Reg. Jur. in 6. censeturque mala fides satis probata, si patet, vel probatur delictum, quod emendo contra prohibitionem committitur.

Queritur II. An, & quas fallentias habeat Regula LXXXII? Resp. Eam fallere in istis, in quibus quoad secundam partem fallere diximus Regulam XIII. Ignorantiam facti, non Juris excusat, videlicet. 1. In Minoribus. 2. In Militibus. 3. In omnino rudibus, non habentibus, quos consulant. 4. Juxta aliquos etiam in foeminis. Et 5. Universaliter, quando non sunt clara, sed ambigua, obscura, & controversa; quia in his recensitis non tantum facti, sed etiam juris ignorantia excusat, consequenter à praesumptione Juris de mala fide eximit, vide dicta ad cit. Reg. XIII. à n. 20. ac etiam reliqua ad eandem Regulam adducta, quia praesentem magis elucidant.

REGULA LXXXIII.

Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Quomodo intelligenda?
- 3 Procedit Regula etiam in Pœnis.
- 4 Legatum, pro certa die factum, singulis annis eo die peti potest.
- 5 Fallit Regula, quando una exactione, & solutione debiti, obligatio illius non exingatur.
- 6 Fallit insuper in causa dotis: & quando?

Desumpta est hæc Regula ex l. Bona fides § 7. ff. de Reg. Jur. ibi: Bona fides non patitur, ut idem bis exigatur.

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Eam esse intelligendam juxta sequentem proprium illius sensum: Creditor, qui solutionem debiti jam semel petiit, & justam obtinuit, eam ulterius petere, seu exigere bona fides, seu bona conscientia non potest. Ratio perspicua est; quia vera solutione debiti tollitur omnis obligatio ejusdem. Nec refert, utrum debitor perse, vel per alium, aut id, quod debet, in natura aut, consentiente creditore, in æstimatione, vel per aliud solvat. pr. Insti. Quibus modis tollatur obligatio ibi: Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur, vel si quis consentiente creditore aliud pro alio solverit; Nec interest, quis solvat, utrum ipse, qui debet, an alius pro eo, liberatur enim & alio solvente, sive sciente, sive ignorante debitore, vel invito eo, solutio fiat. Hinc etiam est, quod, si ab uno ex duobus correis, seu condebitoribus, vel à fidejussore totum debitum solutum est, ab altero, vel principali debitore exigi bona fide & conscientia, sine dolo & malitia nihil amplius valeat nec ab altero correo, nec à fidejussore cit. pr. Insti. Quibus modis toll. ibi Idem contingit, si fidejussor solverit, non ipse solus liberatur, sed etiam reus. & l. In duobus. §. 1. ff. de Duobus Reis. ibi: Utique enim, cum una sit obligatio, una & summa est: ut, si unus solvat, omnes liberentur, sive solvatur ab altero, liberatio contingat.

Procedit Regula etiam in Pœnis, ita, ut, si pœnâ reo pro aliquo delicto semel exacta fuit, alia ab illo propter idem exigi non amplius valeat: nisi diversæ pœnæ copulative pro delicto essent impostæ. Glossa & Strein. hic arg. c. At si Clerici. 4. §. fin. de Judiciis. ibi: Cum functus sit suo officio, nec duplici convictione debeat ipso conterere, quia nec Deus bis punit in id ipsum.

Obijcit l. Annua. 20. §. 1. ff. de Annuis Legatis.

REGULA LXXXIV.

Cum quid una viâ prohibetur alicui, ad id alia non, debet admitti.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde?
- 2 Potest aliquid prohiberi vel absolute, simpliciter, & principaliter ratione sui: vel ad viam, & modum duntaxat.

expressè sancitum habetur, quod legatum pro certa die, v. g. Calendis Maii, Sacerdotibus solvendum, singulis annis pro illa die peti possit. Resp. Id meritò statutum fuisse ex benigna interpretatione in favorem causæ piæ; cum enim dubium, & obcurum esset, utrum legatum in citata lege expressum uno duntaxat, vel singulis annis solvendum esset, in favorem piæ causæ legatorem illud singulis annis in perpetuum esse solvendum, interpretatus est; præsertim quia certo determinato die solvendum imponitur. Hinc bene infert Strein. quod si alium S. Francisci legaretur, ut in die S. Patris eis præteretur pitantia, eam singulis annis in præfato festo præstare deberent hæredes, arg. cit. l. Annua. Neque propterea idem bis exigeretur, sed pro quolibet anno semel, cui alia, atque alia obligatio dandi correspondet.

Quæritur II. An, & quas fallentias patiatur Regula LXXXIII? Resp. Eam fallere, & quidem universaliter 1. quando una exactione & præstatione debiti non extinguatur ulterio obligatio ejusdem. Glossa hic uti patet in exactione debiti conjugalis, in exactione tributorum, vestigialium certis temporibus, vel toties quoties curus onerati transeunt, persolvendorum. Idem est in Visitatione Ecclesiarum, vel Monasteriorum, si eam bis, vel sæpius in anno facit Episcopus, prout potest can. Non semel. 29. cau. 18. qu. 2. ibi: Non semel, sed sæpius in anno Episcopi visitent monasteria Monachorum, & si aliquid corrigendum fuerit, corrigatur. juncto c. Mandamus. 6. de Offic. Archidiacon. ibi: Mandamus, quatenus prohibeatis Censuras Archidiacono, ne ad Ecclesias sui Archidiaconatus visitandas nisi semel in anno accedat, nisi forsitan talis causa emergerit, propter quam ipsum oporteat præfatas Ecclesias sæpius visitare. Visitationes itaque Episcopus ex iusta causa bis, vel sæpius in anno Ecclesiarum, aut Monasteria sibi subiecta, non tantum semel, sed etiam sæpius, toties nempe, quoties visitat, exigere potest procuracionem moderatam c. Cum Venerabilis. 21. de Cens. & Exact. ubi etiam ratio additur illis verbis: Quia ergo visitationi annexa est procuratio: Episcopus ratione Episcopalis jurisdictionis, quam habet in ea, teneatur causâ correctionis Ecclesiam visitare.

Fallit 2. in causa dotis, hanc enim semel exactam, & jam acceptam, secundo nubens filia denuo exigere potest, si prima vice vi pacti ad patrem rediit. Authen. Sed quamvis. C. de Rei. uxor. act. ibi: Sed quamvis dos potestatis, sive pactionis jure ad patrem redeat, non tamen licet ei, filia denuo nubente, diminuire priorem dotis mensuram, nisi forte substantia sua decreverat aliqua fortuita clade: tunc enim amplius secundo marito in dotem præstare non cogitur, nisi quantum facultates ejus patiuntur.

- 3 Ponitur verus sensus Regule.
- 4 Declaratur exemplis. & trib. seqq.
- 5 Electus non potest ingerere administrationem, etiam in æconomus, ante confirmationem.
- 6 Clerici de jure non possunt habere plura beneficia: nec unum titulo beneficii, & alterum in commendam

Regula LXXXIV. Cum quid una viâ prohib. &c. 127

memendum perpetuum possidere.

- 7 Filiis familias non licet mutuum dare pecuniam, nec quid aliud, ut inde pecuniam acquirant.
- 8 Fallit Regula universaliter, quando aliquid non absolute, & principaliter ratione sui, sed quoad certum modum duntaxat, & viam prohibetur. Declaratur fallentia exemplis, & n. seq.

Desumpta dicitur hæc Regula ex l. fin. c. Si Mancipium ita venerit. ubi etiam ratio additur his verbis: ne fraus legi fiat. & ex c. un. de Cleric. conjug. in 6. ibi: ne per unam viam concedatur, quod per aliam denegatur.

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus sensus ejusdem sit? Ante responsum Notandum can. Glossa, & Viviano hic, aliquid dupliciter prohiberi posse: uno modo absolute, simpliciter, & principaliter ratione sui, ita, ut prohibitio non viam aut modum aliquid obtinendi vel agendi, sed rem, sive actum ipsum respiciat, causâ prohibitionis semper durante: cujusmodi prohibita ratione sui sunt adulteria, furta, perjury &c. Vel alio modo prohiberi possunt non simpliciter & ratione sui, sed quoad certam viam duntaxat, vel modum acquirendi prohibentur. Sic Episcopus, aligatus jam alicui Ecclesie, prohibetur aliam Ecclesiam assumere, non absolute & simpliciter, sed duntaxat quoad viam electionis nempe: non verò quoad viam postulationis. c. fin. de Postulat. Prælat. Hoc notato Resp. I. Regula loquitur, & intelligendam esse de prohibitis in primo sensu, uti statim patebit. Nam

Resp. II. Verus Regule sensus hic est: Quando aliquid simpliciter, ac principaliter ratione sui, sive nature prohibetur alicui habetur una viâ, vel modus, ad id aliâ viâ, vel modò de jure admittendus non est. Ratio Regulæ jam allegata est n. 1. ne videlicet fraus legi fiat. cit. l. fin. c. Si Mancipium. Hoc ipso enim, quod legislator aliquid absolute & simpliciter, ac principaliter ratione sui, sive nature prohibeat, vult, & intendit, ut nullâ viâ vel modo fiat, aut ad eam perveniat: etiam si in prohibitione una tantum viâ, vel modus exprimitur, consequenter si quis unam viam, vel modum in lege expressum & prohibentem, declinat quidem, aliam tamen viam æquâ, aperte contra voluntatem, & intentionem legislatoris, sicque in fraudem legis, & contra famam illam R. g. 88. de R. J. in 6. agere censetur: Certum est, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

Declaratur Regula, & firmatur amplius exemplis Juris: Sic enim cit. c. un. de Clericis conjug. in 6. dicitur, Clericos pro commissis criminibus, vel delictis trahi non posse criminaliter, aut civiliter ad judicia laicale, nec ab ipsis secularibus Judicibus eos debere personaliter, vel etiam pecuniariter (ne per unam viam concedatur eisdem Judicibus, quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari.

Sic l. Scire oportet. 21. §. 1. ff. de Tutor. & Curat. datis, pater materno testamento ab administratione liberis patria potestate solutis, relictorum prohibitus, nec ut curator ea administrare valeat, & si voluerit, ut non aliâ viâ hoc, quòd noluit testatrix, fiat, prout ait lex. Sic pater, quia Prælatu electus administrationi se ingerere nequit ante confirmationem c. Nostri. 9. de Elect. ibi: Nostri quomodo electus concedendi honores, vel præbendas, vel alia disponenda de rebus Ecclesie (cum sua electio non sit confirmata) non habeat facultatem; eisdem nec sub titulo osonothii, vel procuratoris administrare valet, Regula hæc eis obstant c. Avaritia. 5. de Elect. in 6. ubi Papa etiam rationem, fraudem legis videlicet, allegans ita loquitur: Avaritia cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes,

eos in illam temeritatem impellunt, ut, quæ sibi à Jure interdita noverint, exquisitis fraudibus usurpare conentur. Nonnulli squidem ad Regimen Ecclesiarum electi, quia eis, jure prohibente, non licet se ante confirmationem electionis celebrare de ipsis, administrationi Ecclesiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipsam sibi tanquam procuratoribus, seu æconomis committi procurant. Cum itaque malitius hominum non sit indulgendum. &c.

Sic rursum, quia Clerici absolute, & simpliciter prohibentur plura beneficia obtinere in titulum c. Quia in tantum. 5. de Præbend. & Dignit. ibi: Quia in tantum quorundam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam provisionem impendere: per Fratres, & Coepiscopos nostros hoc emendari precipimus, & de multitudine præbendarum, Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, eorum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus subvari juncto c. Cum singula. 32. Eod. in 6. uno obtento in titulum, non possunt alterum in commendam perpetuam habere; ne, quod uno modo prohibetur, aliâ viâ obtineatur, cum commenda perpetua æquivalet beneficii titulo, Layman in cit. Avaritia. arg. Concil. Trident. Sess. 7. cap. 4. de Reform.

Sic, quia simpliciter, absolute, & ratione sui prohibetur, ut filii familias mutua non dentur pecunia, ne inde materiam peccandi, & malis contrahendi mores sumant, prohibentur etiam eisdem frumentum, vitium, oleum, vel quid aliud mutuum daret, ut ex his venditis pecuniam acquirant. l. Item si. 7. §. 3. ff. de S. C. Macedon. ne, in fraudem legis, quòd una viâ prohibetur, aliâ obtineatur. ibi: Sed si frum sit Senatus consulto adhibita, puta frumento vel vino, vel oleo mutuo dato, ut, his distractis fructibus, uteretur pecuniâ, subveniendum est filiofamilias.

Quæritur II. An, & quas fallentias habeat Regula LXXXIV? Resp. Eam fallere universaliter tunc, quando aliquid prohibentur existit altero modo supra n. 2. declarato, id est, quando quid non simpliciter, & principaliter ratione sui, sed quoad certam viam vel modum duntaxat prohibetur; quia ad taliter prohibentur aliâ, non prohibita viâ, vel modo admitti, & pervenire licet & valde quis potest. Sic præter exemplum supra cit. n. 2. allegatum de Episcopo, qui licet ad aliam Ecclesiam electionis viâ absumi prohibetur, ad eandem tamen alia viâ, postulationis videlicet, pervenire potest cit. c. fin. de Postulat. Prælat. Uterius, etsi prohibentur fit, ne Clerici illegitimè nati ad Prælaturas eligantur, tamen viâ postulationis ad eandem pervenire possunt c. Immo. 20. de Elect. ubi Summarium rem brevier dicit: Illegitimus potest postulari, non autem eligi.

Sic etiam in judiciis, etsi actor petens aliquam rem una actione inepta repellatur, petendo tamen eandem alia actione congruente admittitur. c. Examinata. 15. de Judiciis. ibi: Actionem, quam intentabas, incongruentem cognovimus, & ineptam unde intentionem tuam in hac parte pronuntiamus non tenere: ita tamen, quod si congruentem & aptam intentare volueris actionem, respondeere tibi teneatur. Sic insuper, etsi Clerici communi jure prohibentur sit, de bonis, intuitu Ecclesie acquisitis, condere testamentum: tamen eadem bona per actum inter vivos ad pios usus elargiri valent c. Ad hæc. 8. de Testam. ibi: Ad hæc præsentibus innovescat, quòd Clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de Jure testari non possunt: Videntes tamen, & sui compotes moderatè valeant aliqua de bonis ipsis, non ratione testamenti, sed electionis que intuitu erogare. Verùm, si in stricto sensu loqui volumus, recentitè proprie fallentia non sunt, utpote per Regulam ipsam jam exclusæ.